

*bergense, peculiaria quondam regimina, sustulerunt, causis Hannoueram atque Cellas translati.*

*Civilium iudiciorum assessores im Hofgericht raro e nobilitate sumunt, ne, quod alibi fit, hi laboribus se subtrahant, iisque ceteri collegae nimium onerentur. Inde iustitia melius a paucis administratur, quam alibi a tot assessoribus otiisis. In causis, statum publicum concernentibus, Elector olim Grotios, nunc Platenios, Goerizios, Hugones aliquosque; Dux Cellensis Schenkios & Schuzios olim, nunc Bernsdorfios: Guelferbytani olim Münchhusios, nunc Probstios & Steinbergios in deliciis habent. Titulus primarii ministri in aula Guelferbytana quondam nomen fuit eines Groß-Voigts: sed veteri adpellatione Saxonica a morte Müncbusii desuetati sunt.*

§. VI. INCOLAE ducatus Brunsuicensis ac Luneburgici id in virtute habent, quod animis firmi & constantes sint, neque fluctuant facile: in vitio plebis ponunt stupiditatem.

*Magnam imprimis corporum & ingeniorum diuersitatem repieres eorum, qui in locis desertis agunt, ab aliis, qui fertiles colunt terras. Illi stupidi ac segnes sunt, hi non item. Possunt baec duo hominum genera cum Scotis conferri. Quorum alii in montibus latent, die Berg-Schotten: alii in pagis habitant, illis longe moratores. Ceterum subditi nostrorum Principum in militia nulli populo Germanorum quicquam concedere solent.*

§. VII. Vires ac POTENTIA Ducum Brunsuicensium, sigillatim consideratae, hinc facile aestimari possunt; quod in bello nouennali ultimo Hannoueranus ad SEDECIM millia; Luneburgensis TOTIDEM fere; Wolfenbuttelanus ultra DECEM millia militum in exercitu habuerint foederatorum.

*Summam barum copiarum si feceris, non difficile erit ad credendum, ditionem Brunsuicensem, coniunctim consideratam, ad quadraginta millia militum exercitum augere posse. Ast vero*